

13. *Posterior pars pronuntiati.* — Atque in praesenti sit etiam conversio, ut in posteriori parte conclusionis dixi, quod nullum sit voluntarium indirectum, quod non sit etiam liberum. Et ratio est, quia hoc liberum indirectum immediate fundatur in potestate, quam habet voluntas ad suspendendum actum suum positis requisitis ad agendum: fundatur ergo in voluntate: imo hoc voluntarium est quoddam actuale exercitium libertatis, et ideo fieri non potest quin sit etiam liberum: unde haec est differentia inter positivam actionem et suspensionem actionis ab intrinseco, quod illa esse potest, et a causa indifferente, et a causa determinata ad unum: haec vero tantum esse potest a causa indifferenti. Ad argumenta aliarum opinionum in n. 4 et 5 satis est responsum ex dictis. D. Thomas autem explicandus est juxta quartum pronuntiatum, quando enim requirit praeceptum ad hoc voluntarium indirectum, non loquitur de carentia actus, sed de positivo effectu, qui ex illa sequitur.

SECTIO VI.

In quibus rebus inveniatur voluntarium.

1. *Cur sola causa materialis et efficiens voluntarii nunc tractentur.* — Explicata ratione voluntarii, et variis modis ejus, sequebatur dicendum de causis, effectibus et proprietatibus voluntarii. Sed de hac postrema parte tractat D. Thomas, 1, 2, q. 7, de effectibus autem nullum fecit specialem sermonem: nam fere ea omnia, quae de actibus humanis dicenda sunt, pertinent ad effectus voluntarii et liberi: inter causas vero formales nulla est diversa ab ipsa ratione voluntarii, praesertim cum actus voluntarius ipse sit forma, et actus ultimus: finalis vero causa satis est explicata in principio hujus materiae, tract. 1, disp. 2, ubi ostendimus actus humanos, seu voluntarios esse propter finem: et hac ratione diximus etiam in superioribus, voluntarium oriri ex cognitione, quia finis non movet nisi cognitus. Dicendum ergo est de causa materiali, seu subjectiva, cum qua fere coincidit causa efficiens, quia voluntarium cum per se primo reperiatur in actu vitali et immanenti, ab eodem fit, in quo subjectatur.

2. *In quibus suppositis subjectetur voluntarium.* — *De perfecto.* — *De imperfecto.* — Possimus autem triplex subjectum voluntarii distinguere, unum remotum, quod est suppositum, aliud propinquius, quod est potentia, aliud

proximum et immediatum, quod est ipse actus. De primo supposita distinctione voluntarii in perfectum et imperfectum, dicendum breviter, voluntarium perfectum in solis rationabilibus creaturis reperiri, quia in solis illis est perfecta cognitione, ex qua sequitur voluntarium perfectum, nam sola ratio cognoscit in objecto diligibili propriam rationem, propter quam potest appeti, vel non appeti. Voluntarium autem imperfectum reperitur in omnibus, quae vivunt vita saltem sensitiva, non autem in reliquis, quae cognitione carent: utrumque facile constat, nam voluntarium, ut dixi, sequitur cognitionem: non ergo potest esse in rebus, quae cognitione carent, sed est in eis appetitus innatus, et motus naturalis. At vero quae participant cognitionem, saltem sensitivam, possunt proprio appetitu a se elicito fieri in res cognitas, et ex illo appetitu moveri, atque ita aliquo modo voluntarie operari. Ex quibus colligitur ex divisionibus voluntarii positis, sect. 4, duas primas habere locum in utroque voluntario, perfecto et imperfecto, atque adeo omnia illa membra, etiam in brutis suo modo inveniri, nam in eis esse potest voluntarium objectivum, et causale, et voluntarium intrinsece, et per intrinsecam denominationem, duas autem divisiones sequentes solum voluntario perfecto attribui possunt, unde omnia illa membra solum in rationalibus reperiuntur, nam in solis illis solum esse potest voluntarium indirectum, nam hoc, ut dixi, libertatem requirit: libertas autem non est sine ratione: voluntarium etiam in alio supponit potestatem cognoscendi quomodo possit unum ex alio sequi, vel in alio contineri: quam rerum comparationem sola ratio efficere potest, et ideo hi duo modi voluntarii, sunt omnino proprii personae rationales.

3. *In qua potentia subjectetur voluntarium.* — De secundo, seu proprio subjecto nihil fere occurrit dicendum, nam constat ex dictis appetitum vitae esse hujusmodi subjectum voluntarii, appetitum quidem rationalem voluntarii perfecti, appetitum autem sensitivum, vel rationalem, etiam imperfecto modo operantem, voluntarii imperfecti: nam licet actiones aliarum facultatum denominentur voluntariæ, tamen haec denominatio provenit ab actu proprio, et elicito ab appetitu vitali, et ideo ipsum voluntarium proprium in illo subjectatur, non in aliis facultatibus, quae motioni illius subduntur.

4. *In quo actu subjectetur.* — *Intentio præstat electioni in ratione voluntarii.* — *In ratione ta-*

DISPUTATIO II. SECTIO I.

DISPUTATIO II.

DE INVOLUNTARIO VIOLENTO ET COACTO.

men liberi se mutuo superant. — Ex quibus constat, quid sit dicendum de tertio punto, nam sicut solus actus elicitus a voluntate, vel appetitu, est per se intrinsece voluntarius, ita ratio voluntarii in solo hujusmodi actu proprie et immediate inest: Atque hinc etiam fit omnem hujusmodi actum posse esse capacem hujusmodi voluntarii. Solum est advertenda differentia inter actus appetitus et voluntatis, nam in appetitu omnes actus sunt, ut ita dicam, quædam simplices tendentiae in objecta, ita ut unus non oriatur proprie ex intentione objecti alterius, sed ex simplici objecti propositione: unde fit, ut omnes quantum est ex parte appetitus, sint æque voluntarii, si cætera sint paria. At vero in voluntate est quædam origo unius actus ab alio in quantum voluntas ex intentione finis eligit media, et hinc fit, ut intentio sit perfectius voluntaria, quam electio, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis; intentio autem finis est per se voluntaria, electio vero medii, propter intentionem finis: ergo haec intentio est perfectiori modo voluntaria, sicut finis ipse est magis appetibilis quam medium, quia est per se appetibilis, medium autem propter ipsum. Secus tamen esse videtur in ratione liberi, in qua videntur se mutuo separari hi duo actus sub diversis rationibus: electio autem communiter existimatur communiter magis libera, quam intentio: nam intentio finis immediate oritur ex appetitu naturali voluntatis ad bonum: electio autem oritur ex proprio appetitu ab ipso operante concepto, et ideo, ut infra videbimus, dici solet voluntas se ipsam movere in electione mediiorum: in intentione autem finis, moveri ab auctore naturæ, et ideo etiam dixit Aristoteles, 3, Ethic., cap. 4, consultationem proprie esse de mediis, non de fine. Ex consultatione vero oriri videtur maximus usus libertatis, unde quanto plura media, magisque similia, vel æqualia per consultationem inventiuntur, tanto major libertas in electione reperitur. Aliunde vero habet intentio aliquid majoris libertatis, in quantum ipsa immediate oritur ex libera voluntate: electio autem habet quædam necessitatem ab intentione, nam illa stante, necesse est electionem fieri, vel unius mediis determinate, si illud tantum inveniatur, vel saltem alieius medii proportionati, si plura sunt.

Oppositorum cognitione ad eamdem doctrinam pertinet, et alterius notitia ad alterum perfectius cognoscendum conduceit, et ideo post declaratum voluntarium dicendum consequenter est de involuntario illi opposito, nam illius scientia multum ad res morales necessaria est, de quo eadem fere tractanda occurruunt, quæ de voluntario, et quoniam fere nunquam involuntarium reperitur sine aliqua vi, vel coactione, ideo haec erunt explicanda simul.

SECTIO I.

Quid sit involuntarium simpliciter, et quomodo se habeat ad coactum et violentum.

1. *Involuntarii triplex acceptio.* — In hac quæstione præcipue explicanda est ratio, et propria significatio harum vocum, et quomodo eis uti debeamus, ne in æquivoco laboremus. Circa involuntarium igitur advertendum est tribus modis dici posse, scilicet, negative, privative et contrarie. Primo modo involuntarium dicit tantum negationem voluntarii, quæ significatio est valde impropria et inusitata: sic enim involuntarium tribui poterit rebus inanimatis, et actionibus naturalibus, quæ a voluntate neque eliciuntur, neque imperantur, quod tamen non est in usu. *Involuntarium privative* dicit etiam negationem voluntarii, tamen in subiecto capaci oppositi voluntarii, quomodo ad involuntarium non requiritur quod sit contra positivum impetum, seu appetitum voluntatis, sed satis est, quod non sit ex voluntario consensu, quem ipsa voluntas posset habere, et hoc etiam nisi aliquid aliud addatur, non est proprie *involuntarium*, ut sumitum ex Aristotele, Ethicor., cap. 1. Proprie igitur *involuntarium* sumitur contrarie, et est illud quod est contra positivum actum, seu appetitum elicium voluntatis, ut satis patet ex ipsa nominis significacione.

2. *Dubium contra involuntarium nunc explicatum.* — Quæri potest qualisnam debeat esse actus voluntatis cui hoc *involuntarium* opponitur, ut proprie, ac contrarie tale sit: et est ratio dubii, quia duplex potest esse hujusmodi actus voluntatis, unus absolutus, qui explicatur hac voce, *nolo*: alias conditionatus, seu secundum quid, qui explicatur, hac voce

nollem: non videtur autem necessarius prior actus, nam vel homo potest impedire in quod voluntarie patitur, vel non potest: si potest et absoluto, et efficaci actu non vult id pati, revera impedit, et consequenter non erit aliquid *involuntarium* in ipso: si autem non potest impedire, non poterit habere actum absolutum, quo illud nolit, nam hujusmodi actus non est nisi de objecto hic et nunc indicato possibili, ut qui dicitur ad violentam mortem, quam hic et nunc judicat inevitabilem, non potest habere hunc actum, nolo mori, sed simplicem affectum nollem mori, et tamen involuntarie moritur. In contrarium est, quia si hic simplex affectus sufficit, dicendum erit multa fieri Deo involuntaria, proprie, et contrarie, quia multa fiunt, quae per simplicem affectum, seu antecedentem voluntatem nollet fieri, mors etiam Christi dicenda esset involuntaria: ac denique dicendum esset voluntatem posse cogi ad volendum involuntarie, quia potest necessitari ad volendum, nolens per alium simplicem affectum, seu nolleitatem.

3. *Enodatur*. — Respondet ad *involuntarium simpliciter* necessarium esse, ut sit contra positivum affectum de se efficacem ad impediendum contrarium motum, quantum est ex parte operantis. Hoc probant imprimis adducta inconvenientia posteriori loco, et ex ipsa nominis significazione demonstratur. Nam illud est *involuntarium simpliciter*, quod est contra voluntarium simpliciter: ergo ut sit hoc modo *involuntarium*, necessarium est, ut sit contra tales impetum, et affectum voluntatis, cum quo simul esse non possit *voluntarium simpliciter*: sed ad hoc non sufficit quilibet simplex affectus, seu nolleitas, quia cum hoc actu esse potest contraria voluntas absoluta, et efficax: ergo ille simplex affectus non sufficit ad *involuntarium simpliciter*; requiritur ergo actus aliquo modo efficax.

4. Neque contra hoc obstat objectio facta, quia circa ea, quae non sunt impossibilia ex se, et simpliciter, sed solum hic et nunc ex circumstantiis, potest esse voluntas efficax, quantum est ex parte operantis, quia licet non possit esse actus, qui de facto moveat ad opus, verbi gratia, ad resistendum, vel impediendum effectum involuntarium, qui actus explicatur illa voce, *nolo*, tamen potest esse actus, qui re vera procedit ex toto affectu, et impetu voluntatis, quae ita est disposita, ut ex vi illius actus sit parata ad faciendum quidquid potest, ut impediatur illum effectum. Unde si aliquid occurrit possibile, statim requiritur illud ex vi

talis effectus: quod si de facto per illud nihil operatur, non est ex inefficacia appetitus, sed quia nihil offertur ut possibile: et ideo dixi hunc affectum debere esse efficacem quantum est ex parte operantis: non est autem hujusmodi simplex affectus: cum quo stat voluntas contraria, ut fuit in Christo, et in Martyribus voluntarie morientibus. Dixi autem hoc esse necessarium ad *involuntarium simpliciter*, quia ea quae sunt contra simplicem affectum, si alioqui sunt ex consensu absoluto voluntatis, possunt dici involuntaria secundum quid, ut postea videbimus.

5. Ex his sequitur primo quomodo se habeant *involuntarium* ac *violentum*, est enim *violentum*, teste Aristotele 3 Ethic., cap. 1, quod est ab *extrinseco passo non conferente vim*, nam quod est ab *intrinseco*, vel est naturale, quia oritur ex principiis *intrinsecis naturae*, vel oportet sit spontaneum ex propria voluntate ortum, et ita non erit *violentum*: est ergo de ratione *violentum* ut sit ab *extrinseco* principio, non tamen satis est id, nam si *passio extrinsecus proveniens* sit consentanea appetiti naturali passivo, ut est, verbi gratia, generatio respectu materiae primae, non poterit dici violenta, sed naturalis potius, et ideo addit Aristoteles aliam particulam, *passo non conferente vim*, id est, neque cooperante, neque consentiente, neque per appetitum elicitem neque per naturalem. Quin potius non satis est, ut non consentiat, quia violentia non solum dicit negationem, sed contrarietatem. Unde etiamsi in passo non sit appetitus ad recipiendam formam, seu motum, dummodo, neque etiam sit appetitus positivus contrarius, non poterit dici actio violenta, sed neutra, sicut est motus ignis circularis in propria sphera, et multi idem dicunt in motu coeli respectu particularis naturae ejus, et ideo recte Scotus, in 4, distinct. 29, particulam illam, *passo non conferente vim*, explicandum censet contrariae, id est, resistente, et sic etiam exponendum est Aristoteles 5, de Generat. animal., cap. 8, cum dicit *violentum præter naturam*, id est, contra naturam, ut idem Aristoteles dixit, sect. 4, Probl., quæst. 6, et lib. 2 Ethicor.

6. Imo addunt aliqui ad *violentum* necessarium esse, ut sit contra appetitum activum, id est, fundatum in activa potentia. Sed hoc neque in Aristotele, neque in ratione habet fundamentum, nam etiam principium passivum est pars integræ naturae: ergo quae sunt contra appetitum passivum, sunt vere contra naturam, seu contra appetitum naturae: ergo

erunt violenta, quia neque sunt naturalia, neque neutra. Item haec, et ab extrinseco proveniunt, et in eis passum non confert vim, sed potius in eis quoad potest resistit. Denique nulla potest reddi ratio quare vis illata appetitui passivo non sit vera violentia, nam si potentia passiva naturalis sufficit, ut motus sit naturalis, cur non sufficiet contraria repugnantia, ut sit violentus? Atque hoc satis colligitur ex Divo Thoma, 1, 2, quæstione 6, art. 4, ad 2, et art. 5, ad 2. Addendum est autem, sicut de *involuntario* diximus debere esse contra appetitum elicitem de se efficacem, ita ad *violentum* simpliciter necessarium esse, ut sit vel omnino contra appetitum naturale, vel contra elicitem efficacem, seu principium. Unde si contingat actionem aliquam, vel mutationem esse consentaneam aliqui appetitui naturae, et repugnantem alteri, sicut motus progressivus, verbi gratia, qui ex parte repugnat corpori, ut grave est, tamen est consentaneus illi ut animale est, tunc in hujusmodi easu mutatio non erit violenta, nisi sit simpliciter ab *extrinseco*, quod non contingit in praedicto exemplo, et in errore intellectus, vel similibus, et tunc necessarium est, ut sit contra potissimum inclinationem naturae, ut corruptio ex parte materiae dici potest naturalis, tamen respectu suppositi dicitur simpliciter violenta, quia est contra potissimum inclinationem ejus pervenientem ex parte formæ, et sic de aliis. Atque haec de violento.

7. *Collatio violenti cum involuntario*. — Ex quibus licet colligere, juxta mentem Aristotelis, et communem usum hujus vocis, *violentum* latius patere, quam *involuntarium*: nam est commune viventibus, et non viventibus: *involuntarium* autem solum in rebus cognoscentibus reperitur. Licet vero haec sit propria significatio vocis, claritatis tamen gratia uteatur distinguendo illam ab *involuntario*, ita ut *involuntarium*, tantum dicatur id, quod est contra appetitum elicitem, *violentum* vero quod est contra innatum, siquidem illud primum non statim infertur ex hoc secundo: nam ex potestate, et amplitudine voluntatis fieri potest, ut quae sunt innaturalia, sint voluntaria, et e contrario, ut aliqua sint involuntaria, quae non repugnant appetitui naturae, sed potius sunt illi consentanea, et fortasse aliunde etiam accidere potest ex parte objecti, ut *involuntarium* latius pateat, quam *violentum*, ut ex sequentibus constabit. Advertendum tamen ex Durando in 4, distinct. 40, quæst. 3, et in 2, distinct. 25, quæst. 3, haec omnia in-

teligenda esse de violentia efficaci et absoluta, quae infert suum effectum nullo spectato consensu patientis, est enim illa violentia inefficax, quae fit per minas, tormenta, et dolores illatos ad extorquendum consensum, quae in jure dicitur vis quædam, tamen haec non est proprie violenta, sed ad metum reducitur, de quo postea in disputatione sequenti dicturi sumus, atque hoc ipsum observandum est in his, quae dicemus de coactione.

8. *Disseritur secunda pars tituli*. — Secundo principaliter sequitur ex dictis, quid sit *coactum*, et quomodo ad *involuntarium* et *violentum* comparetur, saepè enim pro eodem sumitur, quod *violentum*, ut colligitur ex Aristotele 3, Ethic., cap. 1, et lib. 2, ad Eud., et D. Thoma, in citatis articulis. Tamen, ut notavit Durandus in 2, dist. 25, quæst. 4, contractius sumitur interdum, nam inanimata non dicuntur proprie cogi, sed violentiam pati: unde *coactio* in rigore videtur esse vis illata contra internum appetitum elicitem, quod colligi potest ex ipsa etymologia vocis, dicitur enim *coactum* quasi contra actum, seu contra actionem, et appetitum elicitem ab ipso paciente: sic igitur *coactum* fere coincidit cum *involuntario*, unde ad illud necessarium erit, ut sit contra appetitum simpliciter, non dicitur autem quis simpliciter appetere, nisi quod de se efficaciter appetit, et ideo quando quis projicit merces in mare, ut naufragium effugiat, non dicitur proprie, ac simpliciter cogi, quia licet habeat aliquam repugnantiam in voluntate, tamen non est contra efficacem voluntatem, quam hic et nunc habet, nimur salvandi vitam illo medio, cum non possit alio. Atque hac etiam ratione non dicentur esse coacta, quae sunt per se ac simpliciter impossibilia, quamvis contingat esse contra aliquem simplicem affectum, ut non dicatur homo proprie cogi ad non volandum, etiamsi doleat, quod caret illa potestate naturali volandi, vel si appetit simplici affectu volare, quia ille affectus nullo modo est efficax, nec de se operativus, atque hoc modo *coactum* coincidit cum *involuntario*. Utrum vero ex parte objecti aliquæ res possint denominari involuntariae, quae non possint dici proprie coactæ, fortasse est quæstio de nomine, de qua sequenti sectione.

9. *Quid sit molestum*. — *Quid necessarium*. — Atque hinc obiter constat, quod Aristoteles supra tetigit, quod dicatur *molestum*, hoc enim solum proprie tribuitur rebus cognoscentibus, et simillimum videtur *coacto*, tamen *molestum* proprie dicitur quatenus infert aliquem dolo-

rem, vel tristitiam: præterea constat ex dictis quid sit *necessarium*, nam ex vi nominis tantum significat determinationem ad unum absque indifferentia ad oppositum, et hoc modo reperiri potest *necessitas* in motu violento, et coacto, et in naturali, et voluntario: nam potest esse *necessitas* ab intrinseco, et ab extrinseco: et ad illam potest passum interdum conferre vim, interdum non conferre. Notat autem D. Thomas, quæst. 22, de Veritate, art. 5, ex Augustino 5, de Civitat., cap. 10, aliam esse *necessitatem naturalis inclinationis*, et haec est, quæ non repugnat voluntario: alia vero esse *necessitatem coactionis*, quæ voluntario repugnat.

10. *Prima divisio voluntarii*.—Ultimo principaliter possumus ex dictis colligere, quotuplex sit *involuntarium*. Potest enim aliquis querere, utrum omnes divisiones, quæ de *voluntario* supra, disput. 4, sect. 1, datae sunt, possint, servata proportione, *involuntario* accommodari. Et quidem divisio illa *voluntarii in perfectum et imperfectum*, attribui etiam potest *involuntario*, nam opposita versantur circa idem: sicut ergo potest esse *voluntarium in voluntate*, et in appetitu, ita etiam, et *involuntarium*: erit ergo unum *perfectum*, et alterum *imperfectum*, nam est eadem proportionalis ratio.

11. *Secunda divisio voluntarii in causale et objectivum, non accommodatur involuntario*.—At vero divisio *involuntarium causale*, et *objectivum*, non habet locum in *involuntario*, quia nullum est *involuntarium causale*, sed tantum *objectivum*. Et ratio est in promptu, quia *voluntarium*, ut sic, est, vel esse potest ab intrinseco, et ideo non potest oriri ex intrinseco appetitu: non potest ergo dici *involuntarium*, quia ab appetitu causetur, sed solum, quia appetitus illud detestatur, seu non vult, quod est esse tantum objective *involuntarium*. Confirmatur, quia voluntas non operatur per nolitionem, ut nolito est; nam si nolito interdum est principium operationis, illud est in quantum includit volitionem alicujus objecti, ut supra dictum est, atque hac ratione ipsa, ut sic, est voluntaria per se ipsam, et quidquid ab illa procedit, est voluntarium ratione illius, *involuntarium* autem est objectum nolitionis, ut nolito est: ergo non est a voluntate, ut a principio: nihil ergo est *involuntarium*, nisi objective tantum.

12. *Neque habet locum divisio in per se, et per aliud*.—Atque hinc fit tertiam divisionem voluntarii in voluntarium per se, et per aliud,

seu intrinsece, vel per extrinsecam denominationem, non habere locum in *involuntario*: nihil enim est *involuntarium* per se ipsum, et intrinsece, sed solum per extrinsecam denominationem ab actu nolitionis, qui est in voluntate, quia nihil est intrinsece voluntarium, nisi quod immediate elicitur ab appetitu, seu voluntate: nolito autem ipsa, quæ a voluntate elicitur, non est involuntaria, sed voluntaria potius, ut dixi, et per se patet, quia est libera, et a principio intrinseco: nihil ergo relinquitur, quod per se ipsum possit esse intrinsece *involuntarium*. Item, quia numero præcedenti, dictum est nihil esse *involuntarium*, nisi objective tantum: ergo solum per denominationem ab actu objicitur, non autem per modum actus: nam omnis actus, de quo hic est sermo, est causaliter ab appetitu.

13. *Habet tamen locum divisio in se, et in alio*.—*Interest in hac divisione inter voluntarium et involuntarium*.—Quarta autem divisio applicari potest ipsi *involuntario*, nam quod detur *involuntarium in se*, per se notum est, hujusmodi enim est illud quod immediate, et directe fugit voluntas per nolitionem suam. Nisi quis forte dicat voluntatem nihil fugere, nisi quatenus aliquid aliud vult, fugit enim formam appetendo privationem ejus, vel formam contrariam, et ita videtur nil fagere directe et in se, sed tantum in alio, scilicet in eo quod voluntas vult. Sed hoc parum refert, et videtur pertinere ad loquendi modum, nam sicut idem actus est volitio, et nolito respectu diversorum, ita totum objectum ejus censemur unum, et ita censetur etiam voluntas directe, et in se, vel refutare, vel amare, id quod in illo objecto continetur servata proportione ad dictum ipsius. Proprie ergo dicetur *involuntarium in alio*, quando effectus continetur in causa involuntaria, vel e converso, sicut de voluntario, in sect. illa 4, disput. 4, dictum est. Sed est in hoc differentia, nam ad hujusmodi *involuntarium*, non satis est, quod causa sit per se, et sufficiens, sed oportet, ut sit etiam necessaria, quia si effectus potest sequi ex variis causis per se, et sufficientibus, quamvis aliquis nolit aliquam illarum, non sequitur nolle effectum, quia posset illum velle ob aliam causam, quod secus est in *voluntario*. Et ratio est clara, quia ad ponendum effectum sufficit ponere unam causam per se sufficientem, ad tollendum vero id satis non est, sed oportet omnem similem causam auferre. Unde consequenter fit multo minus reperiri effectum *involuntarium in causa per accidens*, sive inter-

veniat præceptum, sive non, in nolitione enim talis conditionis dicetur *involuntarius* talis effectus propter eamdem rationem: intelligentum est autem tamē effectum esse *involuntarium* prout esse potest ab ipso, qui non vult causam, vel conditionem *necessariam adhibere*, nam cum hoc stat, quod possit esse voluntarius objective, prout est ab alia causa.

14. *Quid de divisione directi et indirecti*.—Tandem quod attinet ad quintam divisionem, et ex dictis, et per se notum est posse dari *directum involuntarium, indirectum vero dari* non potest eo modo quo de voluntario explicatum est, scilicet per negationem actus, nam hoc ipso quod tollatur omnis actus, poterit quidem res esse voluntaria, non tamen *involuntaria contrarie*, nam de hujus ratione est, ut repugnet positivo appetitu voluntatis, sicut supra, num. 5, dicebamus ad *violentum* non satis esse parentiam appetitus, sed necessarium esse positivum appetitum naturalem repugnantem. Potest autem ex Aristotele 3, Ethicor., cap. 2, colligi quidam modus *involuntarii indirecti*, qui potius pertinet ad *involuntarium interpretaticum*, et reduci potest ad *involuntarium in alio*, sed illud proprie non reperitur, nisi interveniente ignorantia, et ideo illud melius explicabimus, in disputatione quarta.

SECTIO II.

Quæ res possint esse, seu denominari violentæ.

1. *De quibusnam sit quæstio explicatur*.—*Non est de agente, nec de paciente*.—In hac quæstione sermo est de *violentio stricte*, ut distinguitur a *coacto*, seu *involuntario*, et non inquirimus subjectum, seu suppositum, cui potest violentia inferri, jam enim dictum est omnes res creatas, quæ habent appetitum naturalem, posse pati violentiam, quatenus pati possunt aliquid tali appetitu repugnans, sed inquirimus formam, seu mutationem, in qua potest ipsa violentia inferri, quæ fit quasi objectum appetitu repugnans: constat autem ex definitione Aristotelis, in omni violentia intervenire passum, et agens extrinsecum, unde necesse est inveniri etiam actionem, passionem et terminum. De agente autem nulla est quæstio, nam constat agens non pati violentiam, sed inferre potius, subjectum autem quod substat passioni, ipsum per se non potest sibi esse violentum, quia, ut sic, nihil ab extrinseco patitur. In quo differt *violentum a na-*

turali, quia per solam rationis comparationem, seu distinctionem, potest dici aliquid esse naturale alicui, ut est naturale Deo esse bonum, et communicativum sui, et potentia materiæ dicitur ei naturalis, et similiter animæ aptitudo ad informandum, quia cum *naturale* sit intrinsecum, non requirit distinctionem ex natura rei: *violentum* vero cum sit ab extrinseco, semper requirit distinctionem ab eo qui est violentum: superest ergo, ut de tribus aliis capitibus dicamus, sub quibus complectimur negationes et privationes eorum.

2. *Arguitur quod actio possit esse violenta agenti, ac adeo de illa procedere quæstionem*.—Circa actionem certum est posse esse violentam passo, quia est illi ab extrinseco, et potest repugnare appetitu ejus. Difficultas ergo est, an possit esse interdum violenta agenti, ut agens est. Videtur esse posse, nam interdum agens, præsertim, quod est veluti principium universale, potest agere aliquid repugnans potissimum inclinationi ejus, ut intellectus efficit errorem, qui repugnat inclinationi ad verum, quæ in ipso est maxima, et similiter voluntas efficit actum repugnantem inclinationi ad bonum honestum: erit ergo talis actio violenta ipsi agenti. Confirmatur saltem de potentia absoluta, nam calor, verbi gratia, potest a Deo elevari, et necessari ad frigesciendum: erit ergo talis actio violenta calori, cum sit contra naturalem inclinationem ejus ad calefaciendum.

3. Probabilius tamen est, actionem, ut actionem, non posse esse violentam agenti. Quod imprimis colligitur ex definitione Aristotelis, *passo non conferente vim*: supponit ergo violentiam proprie tantum esse in passo. Deinde actio prout est ab agente respectu illius non potest dici esse ab extrinseco proprie, cum oriatur ex interna virtute agentis. Deinde dixi supra, agens ut agens, non pati violentiam, sed potius inferre: agens autem, ut sic, actione completer: ergo actio ut sic, non est illi violenta. Præterea, quod alicui est conveniens, non est violentum illi, sed agere, ut sic, non est disconveniens agenti, nisi aliunde in ipso recipiatur passio, seu forma disconveniens. Tandem vel actio est ab agente propria virtute operante: et sic oritur ex naturali propensione ejus, atque idem est, si sit ab ipso, ut ab instrumento connaturali, et a natura destinato ad illam actionem, nam etiam talis actio est illi connaturalis, cum sit juxta institutionem naturæ: vel est actio instrumenti artificialis, et quodammodo elevari per artem